



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 175. An ille, qui emit rem hypothecatam, id est, ad debita obligatam,  
teneatur hæc debita solvere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**



dicunt id absolute non licere *Tambur*: aliiq; multum cum *Spor. n. 80.*, quia vinum in se semper red-  
ditur deterius citiusque acescit, & admiscere po-  
terit emens, si temperari expediat; itaque non  
aqua sed vinum vilius erit admiscendum, ut ad  
commune fori vinum accedat; hoc tamen non  
obstante docet ex *Robello Laym. l. 3. t. 4. c. 17. n.*  
*15.* te posse facere admixtionem etiam aquæ ad  
vinum, si aliter non possis obtinere justum pre-  
tium, aut si Magistratus injustè taxarit illius pre-  
tium. Addunt, Pistorum facere posse panes mino-  
ris ponderis, si alioquin justum pretium secun-  
dum Magistratus taxationem consequi non pos-  
sint, sed rectè notat *Castrop. p. 22. n. 5.* non esse  
facile præsumendam illam iniquitatem Magi-  
stratum, qui justè taxant pretium, prout com-  
munitati expedit, licet fortè privatus per acci-  
dens patiatur damnum, quod aliâ vice facile  
compensabitur majore lucro.

*Q. 174. An licitum sit vendere in fraudem Cre- 958*  
*ditorum, quibus revendita non poteris solvere, quod de-*  
*bes. R.* Non est licitum, si retentâ re, quam ven-  
dis, poteras lucrari, aut te reddere potentem ad  
solvendum, uti constat ex dictis *n. 428.*; imò  
quamvis talis venditio sit valida, si facta sit nesci-  
enti, tamen si scienti sit facta, rescindi potest à  
Creditoribus, etiam non restituto pretio, uti ju-  
ra statuunt; si tamen non rescindant intra an-  
num, *P. Nav. Mol. & Less.* dicunt e mentem etiam  
in conscientia esse tutum, sed negant communi-  
us alii cum *Nav. & Laym.*, estque sententia utra-  
que probabilis teste *Spor. n. 88.*

*Q. 175. An ille, qui emit rem hypothecatam, id est, 959*  
*ad debita obligatam, teneatur hæc debita solvere. R.*  
*Communis sententia affirmat, quia res transit ad*



emptorem cum suo onere reali, nec emptor plus domini potest acquirere, quam haberet venditor, hic autem non habebat dominium liberum à debitis. Excipit *Lugo* d. 17. à n. 95., nisi tunc vendita, quando vendens in extrema necessitate poterat distrahere rem alienam, sicuti enim posset in ea necessitate consumere, ita potest illam vendere tanquam liberam onere, ut sic plenum accipiat illius pretium.

960 *Q. 176. An liceat uti falsâ monetâ. R.* Si est falsa tantum formaliter, id est, si appressa sit forma seu signum Principis sine ulla auctoritate, dummodo materia sit bona, licitum est, quamvis enim cudens peccârit, tamen si postea exponatur, habet valorem intrinsecum & communem: contra si est materialiter falsa, quia vel deest pondus communiter requisitum, vel deest iusta materia saltem ex parte notabili, qui scienter exponit, peccat contra iustitiam cum onere restituendi. Quod si quis ignoranter exposuerit, tenetur recipere & commutare, si resciat, aut probetur exposuisse: Similiter qui acceptavit etiam ignoranter, si postea advertat defectum, & resciat à quo acceperit, tenetur suppressere, aut detecto vitio vendere, quanti potest; neque potest exponere pro pleno valore, ut se reddat indemnem, error enim meus soli mihi debet nocere, & ex eo quod sim deceptus, non est mihi licitum decipere alterum, sed detrimentum illud affignare debeo, meæ improvidentiæ vel casui, *Nov.* alique, ita ut *Spor.* n. 30. meritò dicat esse omnium: hinc audiendus non est *Dian.* p. 3. t. 6. R. 3. dicens eum probabiliter non obligari ad restitutionem, qui bonâ fide exposuit, uti accepit. De cusione